

Simon Paulli Gottfried Acidalius

Disputatio Medica de Apoplexia

Rostochi[i]: Pedanus, 1634

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729708977>

Druck Freier  Zugang




Roll
med

Paulli

Acidalius

1634



XXV. *Umzahl.*
DISPUTATIO MEDICA
de

*Ru
m. 11*

APOPLE- XIA;

Quam

SUB AUSPICIO D. T. O. M.

Permissu

Amplissimæ Facultatis Medicæ in Il-
lustri Rosarum Academiâ,

PRÆSIDE

VIRO Excellentissimo, Clarissimo;

DN. SIMONE PAULLI MED. D.

eiusdemq; Prof. Pub. & Ordinario, Præceptore

& Promotore suo omni observantiâ co-
lendo,

Publico omnium Æsculapii Filiorum examini subjiçit

GOTTFRIED ACIDALIUS With-
stoch, Marchicus.

In Acroaterio majore a. d. XIII. Decemb. h. mar.

ROSTOCHJ,

Literis JOACHIMI PEDANI Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXXIV,

25


DISTICATIO MEDICA

de

APOPLE

XI A

Sua Auctoritate D. T. O. M.



Amplissima Facultate Medicorum in Universitate Rostochensi

DR. SIMONIS PAULLI MED. D.

Publici Profess. & Ordinarii Praeceptoris
& Promotoris suo omni observando

GOTTFRIED ACIDALIUS WILH-

Hecht Medicus

In Aetate majoris a. d. XIII. Decembris

Rostochi

Licentia JOACHIMI PEDANI ACIDALI

ANNO MDCXXXIV



CUM BONO DEO.

I.

Satis horrendus iste affectus, & vera inconstantia & calamitatis humanae nota, quam Germani den Schlag / die Hand Gottes / Gottes Ruhr / die stürzende oder fallende Seuche; hanc Latini Siderationem, *Cels. lib. 3. cap. 26. p. 361.* Attonitum morbum, *Galen. lib. de tot. morb. temp. cap. 5. p. 395. B.* Attonitam concidentiam; Græci aliàs *ἀποπληξία*, *ἀσποβολία*, *Ἰπποκράτους*, *ἰσχυρία* vocant.

2. Dicitur autem *ἀποπληξία*, *ἀπὸ τοῦ ἀποπληξίην*, quod ægri, tanquam gravi percussu, hoc malo correpti, repentino casu corruant.

3. *Hippocr. lib. 2. prædict. sect. 2. fol. mibi 101. v. 20. & idem f. 110. v. 10. & 7. aph. 40.* nomen Apoplexiæ partis alicujus paralyti; *Galenus* verò de *symptr. differ. cap. 3. p. 41. A.* totius corporis resolutionem apoplexiæ; alii aliis affectibus latiore vocabuli tractu tribuunt. Qua æquivocatione ut nos expediamus, hanc definiuionem subijcimus.

4. Apoplexia est subita animalium actionum omnium, solâ quandoque læsâ remanente respiratione, abolitio; orta à meatuum vasorumq; cerebri angustia.

5. Dicimus non cum vulgo animalium actionum

privationem, sed, cum harum regressus detur, abolitionem, & quidem subitanam: subito enim, teste experientiâ, invadit.

6. Motus verò aboletur, remanente solâ respiratione læsa; cum mori contingat apoplecticos, ob id quod spirare non possint, teste *Gal. 3. de loc. aff. 10. p. 8. C.* Natura itaq; sui conservatrix, quicquid spirituum suppetit, ad musculos thoracis exercendos amandat. Vid. *Gal. 2. aphor. 42. p. 67. A.* Hinc ex respiratione læsa, periculi magnitudinem conjicere oportet, ut cum *Gal. 3. de loc. affect. 7. p. 77. A.* loquamur. Quâ motus idem *Galen. com. 2. aph. 42. p. 66. D.* distinctionem hujus affectûs ex respirationis difficultate sumsit.

7. Nos secundum *Hippoc. 2. aph. 42.* aliam ponimus fortem, aliam levem. Fortem quadripartito, cum *Gal.* subdividentes: 1. in Maximam & Acutissimam, cum mors in propinquo est, & respiratio ad sensum planè deficit, ita ut neque ad spumam, neque stertorem producenda sufficiat. 2. Fortem; qua correpti violentum trahunt spiritum, cum spumâ & stertore. 3. minus fortem; quæ non violentam quidem, verùm inæqualem inordinatam & intermittentem gignit respirationem. 4. infirmissimam; in quâ aliquem servat ordinem. Levem verò *ναρ. ἐξολω* eam dicimus, in qua respectu, ad alias species, minimè omnium gravatur.

8. Locus affectus primarius est cerebrum. Læduntur enim animales functiones, quarum auctor, fons & principium est, teste *Actuario m. m. lib. 1. c. 16. p. 153. & Paul. lib. 3. cap. 18. p. 427. A.*

9. Afficitur autem proximè cerebrum, non ut pars similaris seu ratione temperiei: sed ut pars instrumentalis

talis, & ratione organice compositionis, respectu ductuum; hinc dici morbus potest in via.

10. Continens autem causa non est obstructio ventriculorum cerebri, ut *Galenus 3. de loc. affectib. 7. p. 77. A & 2. de sympt. caus. ult. p. 89. B. Paul. Aegin. lib. 3. cap. 18. p. 427. B & alii* docent; partim cum in ventriculis cerebri apoplexiâ extintorum eiusmodi obstructio non reperitur; partim cum hydrocephalicos omnes, apoplecticos factos non legamus. Sed statuimus: eam esse repletionem & oppressionem vasorum nervorumque tantam, quanta non patitur ut animalis facultas, ob spirituum defectum, officium suum facere potis sit: & hujus sententiæ favitores habemus, primo *Auctor. lib. 4. de V. R. in acut. S. 23.* scribentem: *Si quis repente obmutescit, venarum intercepciones affligunt, ubi id bene valenti, circa manifestam occasionem, aut validam aliam causam contigerit.* Dein *Galen. qui de morb. caus. cap. 3. p. 25. D.* per morbum attonitum, hoc exponit

11. Nolumus tamen jugulares venas, aut carotides arterias, in censum horum venire, cum jam olim *Gal. passim in placit. Hipp. & Platon.* docuerit, & anatomicum in vivis exercitium idem approbet, ex jugularium venarum ligatione neque mutum neque elumbe evadere animal; sed statuimus, easdem invehere apoplexiam posse, arctiores vias, basinque cerebri perreptantes. Quæ omnia, hisce, alijs relinquimus. quippe, exacta horum cognitio, test. *Gal. 3. de loc. aff. 6. p. 68. C. ad curationis inventionem nihil ferè conconductit. Nam satis fuerit ad probe curandum nosse, sedem adfectam esse cerebrum. & c: an itaque Choroides plexus tantum, an rete mirabile tantum, an torcular Herophili tantum, sedes sit affecta, scientes præteri-*

mus. Nolumus enim nimis altercando veritatem amittere, & qui jurare in hæc audeat, is — — novit & illud Junonem duxit, quo pacto, Jupiter olim, ut in proverbio est.

12. Inter causas autem morbum hunc in via gignentes, familiam ducit, humor pituitosus. *Gal. 3. de loc. affect. 7. p. 77. a. & 4. de loco Affect. 2. p. 87. & 2. de caus. Sympt. ult. p. 89. B.* Cum corporis & temporis constitutio frigidior, quâ Apoplectici frequenter, capitis gravitate comite, consuetâ pituitæ per choanam evacuatione suppressâ, corripuntur &c. id facile evincat.

13. 2. Et humor melancholicus apoplexiam producit, ut innuit *Hipp. 7. aph. 40. & 6. aphor. 56.* Qui ut recte intelligatur *Gal. consulendus in comment.* A bile autem flavâ, nisi cum pituita misceatur, Apoplexiam produci vero vix consentaneum. Humor enim tenuis & acris, nervorum expultricem, ad sui excretionem, potius vellicaret, quam omnem motum adimeret.

14. 3. Sanguinem insuper Apoplexiam inducere, præter *Auctorem lib. 4. de V. R. in acur.* etiam *Galen. in commentario hujus libri §. 23.* consentientem habemus: cum nimirum vel effusus è venis (loquor veterum more,) vel adhuc iis contentus, cerebrum nervosq; comprimendo, spiritui animali viam liberam intercludat.

15. Causæ verò procatarticae & internæ antecedentes variæ sunt, quæ ad duas tamen classes nō incommode referuntur: vel enim generant humores, vel generatos movent. Qui moti dein morbum hunc fovent & cum eo ponuntur & tolluntur, & continentibus morbi evadunt causæ. Ut interim moneam, brevitatis studio in præsens distinctionem causarum procatarticarum,

rum, in necessarias & non necessarias, nos studiose negligere, quarum tamen quasdam nobis commodo loco recensere placebit.

16. Quæ generant; inter has 1. est aëris & cœli frigida & pluviosa constitutio. *Hipp. 3. aph. 16. & 34. 2.* Frigida intemperies cerebri vel etiam *Φλεγοώδης* affectio *Gal. 2. aph. 42.* 3. Edulia frigida crassa viscosa. In naturalis sanguineis liberalis victus. Cerevisiæ crassæ & vini nimia ingurgitatio. 4. Otium inermium, somnus diuturnus & pomeridianus. 5. Lucubrationes præposteræ. 6. naturalium excrementorum; Consuetarumq; evacuationum, per Hæmorrhoides, uterum, palatum, nares, &c. suppressio. 7. Flatus, nebulosæ exhalationes, vapores in corpore producti.

17. Movent generatos jam humores: 1. Aëris constitutio calidior tempusq; vernum. 2. Radii Lunares; Vid. *Macroh. lib. 7. Cap. 16. p. 566.* Qui notum quoq; est (inquit) quod si quis diu sub luna somno se dederit, agrè exciterur, & proximus fiat insano: pondere pressus humoris, qui in omne ejus corpus diffusus atq; dispersus est, proprietate lunari: Quæ ut corpus infundat, omnes ejus aperit & laxat meatus. 3. Odorata. rectissime enim à *Plutarcho* in *Isid. & Osir. p. 384. Tom. 2.* A. scribitur: Odores sæpè sensum deficientem recreare, sæpè etiam contra hebetare ac sopire. Nocent quoq; exhalationes carbonum, calcis, fornacum non diu extractarum, lodicum in hypocaustis siccandarum; Thermarum, nonnullarum, Mercurii, cerevisiæ recentis, itemq; mulsi, musti &c. 4. Affectus animi, terror, ira, venus nimia, qua *Corn. Gallus Prætorius & I. Ætherius* æques *Rom.* obiere, teste *Plin. lib. 7. Cap. 53. p. 336. & Val. Maximus lib. 9. c. 12. p. 3.* 5. Motiones vehementiores corporis.

poris. 6. Ictus & contusio capitis, aut ex alto lapsus, cu-
jus rei elegans Exempl. apud *Plur. lib. de fera Num. vin-*
dicta. pag. 563. C. Thespeus Solensis nobis dedit 7.
Fulmen ipsum, & fulminantia tormenta bellica, *κε-*
εαυροβόλα, nobis Karthamen/ dicta; itemq; vulgarium
bombardarum improvisæ fortesque explosiones, &c:

18. Explicatis hisce causis, nunc consequens est, ut
de signis agamus, quæ vel imminentem prænuntiant,
vel præsentem ab alijs affectibus distinguunt: Inter
quæ hæc diagnostica, illa prognostica vulgo dicuntur,
de quibus distinctè, ubi communia & separabilia, pa-
thognomonicis, præmiserimûs, agemus.

19. Imminentis signa sunt: Cephalæa, hemicrania,
cephalalgia, vertigo, Scotoma, incubus, epilepsia in-
senibus, tremor corporis, stridor dentium in somno,
lassitudo, somnolentia, venarum jugularium tensiones,
muci & salivæ abundantia, extremorum sine causâ ma-
nifesta perfrigeratio, urina nigra, pauca, æruginosa. Sed
communibus signis relictis, ea capeffamus, quæ apo-
plexiæ propria.

20. Dicimus præsentem demonstrare, quòd æger in-
star fulmine tacti aliquando cum, aliquando sine cla-
more concidat, ejusq; omnia membra langueant, laxa
flaccidaq; sublevanti appareant; non loquatur; nullius
rei intelligentiam habeat; respiratione vel ad sensum
ablata, vel difficili, cum stertore spumoso, facie sani si-
mili, pulsu cæteris paribus valido.

21. Ex quibus nunc facilè elucet, quid Apoplexia
cum reliquis cognatis affectibus diversi habeat. Differt
I. ab Epilepsia, quod in hac facultatum animalium, non
tam abolitio, quàm tantum imminutio, plerumque ap-
pa-

pareat; Motus convulsivus membrorum manifestè ob-
servetur, quæ motricis depravatio. 2. à matricis suffoca-
tione; in hac enim sensus nonnulli nonnunquam remanent,
respiratione ad sensum liberâ, aut quam in Apoplexiâ liberiori;
facies in hysteris cadaverosa, ventris & fœmorum torsio adest. 3. A syncope, quod hac correctorum
facies itidem cadaverosa appareat; & ob vitalem facultatem oppido oppressam, debili existente respiratione,
pulsus quoq; languidus, imò quoad sensum quandoq; cessare observetur. 4. A catharro suffocativo.
In hoc enim homo mente, & sensibus integris, subitò humore à capite ad pectus decumbente, suffocatur. 5. A Caro & lethargo, quod in his affectibus sensus & motus nō prorsus sint aboliti, sed respiratione liberâ sensim ægros invadant; quorum posterior etiam febrem comitem habet, quâ apoplectici in morbi principio carent.

22. Signa causarum quod attinet, sumuntur illa ex causis & effectis, quorum in superioribus thesibus passim facta est mentio.

23. Restant Prognostica. Licet *Gal. 9. m. m. 10. p. 228. C.* inter morbos exitiales, cujusmodi ipsi sunt intercus aqua, orthopnæa, jecoris & ventriculi imbecillitas, numeret; & *Hipp. 2. Aph. 42.* Fortem solvere impossibile, debilem verò non facilè pronunciet; Nullaq; Apoplexia periculo revera careat; in arte tamen traduntur, quæ vel malum vel bonum eventum prænuntiant.

24. Malum eventum præsagiunt, respiratio valdè inordinata; & ita, ut vix sentiat immunita; sudor circa frontem & tempora; oculorum album nimis conspicuum: alvus & urina si spontè profluant; sternutationibus adhibitis, si æger non sternuret; post sanguinis missionem mens non redeat. Facies ex rubicunda si livida

B

aut

aut cadaverosa evadat, iterato hac correpto; nec titilla-
tionibus sub pedibus excitetur; spuma circa os in gra-
vissima Apoplexiâ copiosissima, vel omninô nulla appa-
reat; stertor antea magnus, si jam minuatur, febrisq; me-
diocris diu durans, si superveniat. Quale quid Numenit
E. apud Hippoc. r. propher. aph. 87. p. 81. v. 15. contigit.

25. Bonum eventum ex quibus sperare medicus pos-
test sunt: respiratio non valdè inordinata aut violenta;
sanguis, mucus è naribus exiens; si æger deglutiat; ad-
hibitis ptarmicis sternuret, & jam in Paralyfin incurrat.
Sed & his relictis, ad curationem nos accingimus.

26. Licet autem, ex institutis præceptisq; Hipp. & Gal.
doceri videamur: Plerosq; apoplecticorû solis progno-
sticis esse relinquendos; attamen cum multi Apoplecti-
ci, ad sensum mortui, restituti sint: minus Christianum
foret, auxiliares manus proximo denegare, cum ipse
Gal. etiam doceat: *Tum demum officio nostro nos functos, cum
omnia effecerimus, quæ ratio nobis suppeditet, et longus usus per-
iciaq; commonstret. Ut videre est Com. 8. l. 6. Epid. sect. 42. p. 549.
edir. Rasa. quocum quoq; facit, Aërius dum Terrab. 4. Ser. 11.
c. 21. p. 664. scribit: Humanum & plenum benivolentiæ signû esse.
in extremis etiam malis, usq; ad experimentum procedere, ad diffi-
cultatem affectionis compescendam. Ne tamen emortuo cada-
veri, quis remedia, magno & suo & artis dedecore, adhi-
beat; proin, an fortissima apoplexia correptus vivat, nec
ne, perquirunt Medici, per speculum nitidum naribus &
ori admotum, in quo si animæ vestigium apparet, vive-
re; sin minus, mortuum pronuntiant. Idem ex poculi &
vitri aquæ pleni thoraci impositi, vel lanæ carminatæ,
plumæ, candelæ, conclamandi naribus adhibitæ, motu
explorant. Periclitari autem vitam sternutatoriis, hy-
stERICIS magis quàm apoplecticis convenit.*

27. Quod

27. Quod si mortuus, nolunt intra 72 horarum, aut 3 dierū spatium, sepulturæ tradendum. pleni enim historiarum recentium veterumq; sunt libri, eorum, qui cis hunc terminum in vitam revocati visi sunt.

28. Si verò vivere adhuc deprehenditur, protinus curatio acceleranda. Etenim, hoc in malo non expectanda concoctio. Medicari enim in valde acutis, eadem die oportet, tardari in talibus, cum malum sit, juxta *Hippocr.* præceptum 4. *aphor.* 10. Vid. *Comm. Gal.*

29. Instituenda autem curatio secundum indicationes; & cum in apoplexiâ actiones cerebri aboleantur, hæ restitucionem indicant; quia vero restitui nequeunt, nisi spiritui animali, liber in nervos concedatur in fluxus; indicatur, eum procurandum esse, quod fit, dempto in viâ morbo; ad eum itaque tollendum curacionem dirigi debere, quivis intelligit.

30. Materia verò hunc gignens (negamus enim ab intemperie solâ ullam gigni apoplexiam) sunt, ut supra dictum, pituitosi, melancholici, aut sanguinei humores; pro diversitate igitur horum, diversa quoque incunda curatio, quæ tribus instrumentis, Chirurgiâ, Pharmaciâ, & Diætâ absolvitur.

31. In genere, ubi contra indicans non datur, apoplexiâ correptus in locum temperatè calidum a lecticariis portetur, thorax leviter tegatur, corpus ægri ita collocetur, ut erectus reclinet leniter, non verò concutiat juxta alios: Extrema, præsertim plantas pedum, fovere convenit linteis calidis, itemq; fricare, pariter volas acetæ & sale decocto salviæ, oleo spicæ, rutæ, &c. Pannis asperiorib. exceptis fovere & inungere, ægro cõducibile est: ligare quoq; fortissime extrema in hoc morbo confert.

32. Magnoperè quoq; Phlebotomia confert, quo præ-

stantius auxilium, experientia & ratio nullum afferunt :
quâ sæpiculè neglecta, multos neci dari eadē persuadet.

33. Non tamen in omni apoplexiâ promiscuè hanc
tentandam putamus, nec in illis, qui septuagenario ma-
jores, viribus sunt fractis, præsertim ab aliis morbis.

34. Quod si hujus nihil deprehendatur, ampliore vul-
nere aperiri possunt cum Cephalica, vel si hæc minus cõ-
spicua, nigra, tum arctiori, venæ jugulares, sed à peritiffi-
mo Chirurgo, qui probè vulnus iterum obligare; non
tantum infligere didicit; ast ex magnâ turbâ vix deci-
mum quemque huic operationi idoneum reperies.

Rari quippe boni; Numero vix sunt totidem, quor

Thebarum portæ, vel diritis ostia Nili.

Tandem quoq; ratione derivationis vena frontis incidi
potest, quæ omnia artis adminicula absente Medico, ri-
tè administrari nec debent, nec possunt. Qui ubi Phle-
botomiæ nullum locum concedendum judicabit, soler-
ter applicationes Hirudinum, cucurbitularum, Vid.
Cels. cap. 11. lib. 2. p. 178. pro re natâ imperare novit.

35, Post Phlebotomiam in forti apoplexiâ (quam etiam
præcedere possunt) clysmata & quidem acria injiciantur.

36. Componuntur autem ea s. a. ex emollientibus sti-
mulantibus & Cephalicis, ut Herba malvæ, branc. urfin.
mercurial. bet. orig. meliss puleg. salv. rutæ, Calamint.
Hyssop. Thym. roris marin. Major. Flor. Chamæmel.
melilot. centaur. min. anth. Stœch. Arab. Primul. veris.
verbasc. aneth. lavend. Rad. ireos, imperat. Sigill. Salo-
mon. Angel. Pyreth. Ari. Fœnic. Pœon. Sem. Carvi.
cumin. urtic. rut. nasturt. sinap. fesel. fœnic. anis. Succ.
Merc. betæ: Purgantia quoq; admiscentur è simpl. ordi-
ne Turpith. fol. Senæ. Alex. Agar. trochisc. colocynth.
quæ coqui possunt, s. a. in aqua, Hydromel. simpl. aut
comp.

comp. urin. pudri. Adduntur etiam purgantia compo-
sita, Benedict. laxat. Elect. Indum. Diaphæn. Conf. Ha-
mech Hier. simpl. Lagad. Pachi. seu Diacolocyntid.
Pil. Cochizæ. aur. luc. Afair. &c. Mell. anthof. Anacard.
Oxymel. Ol. rutac. Cast. Laurin. Aneth. Chamæmel.
Salis gemmæ, seu fossil. parum; ex quibus Clysmata
fortiora mitiora præferibunt Practici, ita tamen ut à mi-
tioribus ad fortiora progrediantur.

37. Quod si Clyster debito tempore non reddatur, aut
illicò præparari non possit, glande alvus provocatur,
quæ ex trochis. alhand, nitro (rarò ex Euphorb.) aut
præced. Elect. specie. cum melle except. secund. artem
cum filo parari debet.

38. Quod si æger purgationes ferre valeat, huic usui
inserviunt, Pil. cochic. Foetid. de Agar. Arab. Ind. au-
ræ Afair. Elect. diacarth. Ind. major, diaphæn. diaca-
thol. Conf. Hamech, quibus stimuli loco diagryd. Tro-
chis. Alhand. unum itemq; alterū granum addere licet.

39. Antimonium Agaric. nisi probè corrigantur, non
conveniunt; vomitum enim movent, quem in princi-
pio hujus morbi provocare, ut plurimum perniciosum
pronuntio.

40. Hinc ad particulares evacuationes devenimus,
quæ peraguntur, palati frictionibus; in quarum usum
veniunt Conf. Anacard. Diacor. Aur. Alexand. in aqua
vitæ s. apopl. aut decocto sem. sinapi, Pyreth. dissolutæ;
quibus tantillū castorei, aut hujus essentiz addere licet.

41. Huc spectant Errhina & Ptarmica, parata ex Zin-
gib. piper. Elleb. alb. Sem. Staph. agr. Major. Nigel. cu-
beb. Caryophyl. Nuc. mosch. Euphorb. Rad. bet. Ircos
Pyrethri, Cyclam. Succ. Major. bet. Heder.

42. Tandem deveniendum ad ea, quæ non solum ce-
rebrum

rebrum confortant, spiritus restituunt, & humores attenuant. Sed & materiam discutunt, & ad exteriora trahunt, Quod & extrinsecus ad motis, & intrinsecus adsumptis peragitur.

23. Extra capiti raso & quidem vertici & nuchæ regioni ex Cephal. fomenta, embroch. Cataplasmat. cucuphas epithemat. præscribimus; huc pertinent inunctiones capitis ex ol. calid. ut Lauri. irin. Rutæ. Castor, de piper. Nard. de Later, Euphorb. Spic. Sem. sinapi. Lavend. roris mar. Juniperi, vel ex his aut quorundam pulv. cum Gummi Tacamahac, Carannæ, Asa foet. Sagap. Opoponac. Ammon. cum cera, pice, resina fiant l.a. emplastra.

44. Alii adhibent Phænigmos, ex sem. sina. pulp. ficuum. Vesicatoria ex ranunc. flamm. cantharidib. &c. incassum adhiberi, multi docent; Suadent nonnulli, Rhase auctore, sartaginem, vel aliam laminam ferream candentem, capiti tamdiu cominus admovendam, donec id calefaciat, & pilos incurvet.

45. Ori quæ infunduntur. sunt, aqua & spiritus, v. g. Ceraforum sylv. & nigror. Rorism. Meliss. Gran. Junip. Salv. Lil. convall. Flor. Lavend. Til. Visci querni, Spir. Vitrioli Philos. Aqua vitæ, Apoplect. Croll. Palat. Elector. Carfunculi Maximil. Imperat. Elixir Vitæ Matth. decoctum sarsæ parill.

46. Prædictis adduntur Essent. & Extr. rorism. salv. Lavend. pæon. cubeb. cardam. castor. meliss. angel. quorum etiam oleum, ut & succini, nuc. mosc. carvi, caryoph. commendatur, itemq; corall. smaragd, succini magister. sal succini, cranii hum. marg. corall. ut & horum solutio.

47. Naribus illinuntur, & admoventur Bals. apoplect. Crollii, Succin. angel. Nuc. mosch. rut. major. Cinam.

48. Apoplexiæ, à melancholico humore, ortæ, ferè eadem

dem est curatio, nisi quod phlegmānagogorū loco, me-
lanagoga cum Clysteribus, tum per os sumptis purgan-
tibus, admisceri debeant. v, g. Fol. Senæ, polypod. fu-
mar. Epithym. helleborus niger, & quæ prædicta reci-
piunt medicamenta.

48. Sanguinem Apoplexiam induxisse, externæ vio-
lentæ injuriæ si ostendant (solent enim hæ plerumque
sanguineæ apoplexię primæ esse occasiones) statim Ce-
phalica vena aperienda, & si reliqua consenserint, in al-
terutro brachio phlebotomia, vel eodem, vel insequentī
die reiteranda. quod si phlebotomiam nō toleret ager
cucurbitulæ scarificatæ, thorace interioribus partibus,
cum magnâ flammâ affigendæ. Cranium depressum,
elevatorio, quod & vectem appellant, attollendum, try-
pano à *Cauiſo*, seu apto terebello prius decenti loco
perforandum.

50. Ab odorientis, aquis apoplecticis & aliis calidioribus remediis hîc in initio abstinendum: satius est,
ut sanguinem concretum dissolvamus, illico. In quem fi-
nem pullum columbinum vel gallinaceum per medium
dissectum & adhuc calentem capiti, practici imponunt.

51. Videtur quoq; nunc nobis tempestivum, ut & a-
liarum causarum, supra enarratarum, hîc loci in genere
rationem habeamus. Si itaque à nimîâ venere supinus
stertat Apoplecticus, ad hanc quoque respiciendum &
testes vino calido, in quo cinamom. caryophyll. nux-
mosch. meliss. &c. ebullierint, fovendi. Si ab affectibus
animi & consternatione; cordis quoq; habenda est ra-
tio; cui scopo inserviunt epithemata cordialia, pretiosæ
confectiones, Alkermes, diambra, diamoschi, diaxy-
lo al. magist. citri. perlar. &c.

52. Quod si fulmen, radii lunares, aut odorata hunc ad-
fectum

festum inducunt, æger in liberum aërem deportandus; vestes detrahendæ, extrema linteis calidis & theriacâ fricanda, ori cum aqua apoplect. zedoar. cinamon. carfunculi, &c. extract. theriac. aut mistur. simplic. seu diaphoret. in peracut tantillum; itemque granulum unum aut alterum bezor. Lunar, Solaris; itemque; lillii antimonii, infundenda; Plagaque; debito modo tractanda. Luna & odorata quam inferunt apoplexiam, ea usque adeo generosam medelam. quam fulmen, non requirit.

53. Porro cum longè melius sit prævenire quam præveniri, verissimeque dictum putemus: melius esse occurrere in tempore, quam post exitum vindicare; proin si nos v. g. Ap. Saufejum aut alium quemvis obvium ad Apoplexiam prorum, ob antecedentes causas prospexerimus, maturè prophylacticis convenientibus malum ab eo avertendum suaderemus: Quod fieri potest, si cerebrum & Spiritus corroborentur, & restaurentur, intemperies corrigantur, pravorum humorum generatio impediatur, aut generati discutiantur & evacuentur.

54. Atque hætenus, duobus, operationum medicarum, instrumentis potissimum usi sumus, sequitur, ut & tertium, capeffamus, quod venit Diætæ nomine. A cibi itaque, & potus nimia ingurgitatione, alimentis crassum & pituitosum succum generantibus; vinis crassis absteineat; eligat vero ea, quæ bonum sanguinem suppeditant, & hæc condiantur Cephalicis & morbo contrariis. Concoctionem post pastum, largiore potu non turbet, sed potius pepticis pulveribus promoveat. Motus vehementior; somnus à prandio & cœna, & quidem pedibus calceatis; odorata plæraque; omnis generis venti; aër pluviosus, nebulosus in excessu, humidus & frigidus vitantur. Aër canaculi corrigatur pulv. simp. & compositis officinarum pro fumo, carbonibus inspersis. Ab animi affectibus præsertim ira sibi temperet, Venerem fugiat, consueta naturalia excrementa excernat & promoveat.

Et hæc sunt quæ de legitima Apoplexiæ curatione,
& ab ea præsertione, in genere breviter proferre sumus conati.

SOLI DEO GLORIA.

comp. urin. pueri. Adduntur etiam
fita, Benedict. laxat. Elect. Indum, Di
mech Hier. simpl. Lagad. Pachi. seu
Pil. Cochiae. aur. luc. Afair. &c. Mell.
Oxymel. Ol. rutac. Cast. Laurin. A
Salis gemmae, seu fossil. parum; ex
fortiora mitiora praescribunt Practici,
tioribus ad fortiora progrediantur.

37. Quod si Clyster debito tempore
illico praeparari non possit, glande a
qua ex trochis. alhand, nitro (rarò)
praeced. Elect. specie. cum melle exce
cum filo parari debet.

38. Quod si aeger purgationes ferre
inserviunt, Pil. cochic. Foetid. de Ag
reae Affair. Elect. diacarth. Ind. majo
thol. Conf. Hamech, quibus stimuli lo
chis. Alhand. unum itemq; alteru gra

39. Antimonium Agaric. nisi probe
conveniunt; vomitum enim movent
pio hujus morbi provocare, ut plurim
pronuntio.

40. Hinc ad particulares evacuati
qua peraguntur, palati frictionibus;
veniunt Conf. Anacard. Diacor. Aur
vitae s. apopl. aut decocto sem. sinapi,
quibus tantillu castorei, aut hujus esse

41. Huc spectant Errhina & Parmig
gib. piper. Elleb. alb. Sem. Staph. agr.
beb. Caryophyl. Nuc. mosch. Eupho
Pyrethri, Cyclam. Succ. Major. bet.

42. Tandem deveniendum ad ea, q

